



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. V. De dignitate Sacramenti, & statu sacerdotali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

& Sanguinem, in cibum & potum mihi parasti. Præsta Domine Deus salutaris meus, ut cum frequentatione mysterij tui, crescat meæ deuotio-  
nis affectus.

## CAP. V.

*De dignitate Sacramenti, & statu  
sacerdotali.*

VOX DILECTI.

*Mat. 18. 1.* Si haberet angelicam puritatem,  
& sancti Ioannis Baptistæ sanctitatē: non essem dignus, hoc Sacramen-  
tū accipere, nec tractare. Non enim  
hoc meritis debetur hominum, quod  
homo consecret & tractet Christi Sa-  
*Ps. 77.* cramentum, & sumat in cibum pa-  
nem Angelorum. Grande misterium,  
& magna dignitas Sacerdotum: qui-  
bus datum est, quod Angelis non est  
concessum. Soli namque Sacerdo-  
tes ritè in Ecclesia ordinati, pote-  
statem habent celebrandi, & Corpus  
Christi consecrandi. Sacerdos qui-  
dem minister est Dei, uter verbo Dei;  
per iussionem & institutionem Dei:

Deus

Deus autem ibi principalis est auctor,  
& inuisibilis operator, cui subest om-  
ne . quod voluerit , & parer omne  
quod iussit.

*Gen. 1.  
Ps 48.  
& Ro-  
man. 9.*

2 Plus ergo credere debes Deo om-  
nipotenti , in hoc excellentissimo Sa-  
cramento , quam proprio sensui , aut  
alicui signo visibili . Ideoque cum ti-  
more & reuerentia ad hoc opus est  
accedendum . Attende tibi , & vide *1. Tim.*  
*cuius ministerium tibi traditum est,*  
per impositionem manus Episcopi .  
Ecce , Sacerdos factus es , & ad cele-  
brandum consecratus ; vide nunc , vt  
fideliter & deuotè , in suo tempore ,  
Deo sacrificium offeras , & teipsum  
irreprehensibilem exhibeas . Non al-  
leuiasti onus tuum , sed arctiori iam  
alligatus es vinculo disciplinæ , & ad  
maiorem teneris perfectionem sancti-  
tatis . Sacerdos omnibus virtutibus  
debet esse ornatus , & aliis bonæ vi-  
tae exemplum præbere . Eius conuer- *Phil. 3.*  
satio , non cum popularibus & com-  
munibus hominum viis , sed cum An-  
gelis in cælo , aut cum perfectis viris  
in terra .

3 Sacerdos sacris vestibus induitus ,  
M 5 Chri-

**Heb. 5.** Christi vices gerit; vt Deum pro se & pro omni populo, suppliciter & humiliter roget. Habet ante se & retro Dominicæ crucis signum, ad memoriandam iugiter Christi passionē: Ante se crucem in casula portat, vt Christi vestigia diligenter inspiciat, & sequi feruenter studeat. Post se cruce signatus est, vt aduersa quælibet ab aliis illata, clementer pro Deo toleret. Ante se crucem gerit, vt propria peccata lugeat: Post se, vt aliorum etiam commissa per compassionem defleat, & se medium inter Deum & peccatorem constitutum esse sciāt: nec ab oratione, & oblatione sancta torpescat, donec gratiam & misericordiam impetrare mereatur. Quando Sacerdos celebrat, Deum honorat, Angelos laetificat, Ecclesiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.

CAP.